

## FLORES SULPHURIS.

SULPHUR commune tritum indetur cucurbitæ terreæ, capitello vitreo instruētæ, vel aliis vasculis idoneis superpositis, et ex arena, igne primum leni, postea paulum validiore, fiat sublimatio. Flores in capitellum elevati abstergantur, vel capitellum subinde renovetur, donec sulphur totum, relictis in fundo fæcibus, ascenderit. Flores omnes collecti aqua calida aliquoties abluantur.

*Nota.* Vix unquam a Pharmacopolis parari solent.

## FLORES ZINCI.

ZINCI frustula ignito crucibulo capaci, alto et inclinato, repetitis vicibus injice, ut inflamentur. Flores albi, leves, sublimati eximantur gradatim, ne aëris accessum impedianter. Exemti flores tandem per cribrum trajiciantur.

## GELATINA BERBERUM.

Succus e baccis Berberum coquatur leni igne cum sacchari albi pondere æquali, vel q. s. ad debitam crassitudinem. Tum per pannum lanuum trajiciatur gelatina.

Eodem modo paratur *gelatina Ribium rubrorum.*

## GELATINA CORNU CERVI.

R. Cornu Cervi rasū, in aqua tepida aliquoties loti, Libram semis,

Aqua fluvialis Libras septem.

Leni igne coque vase clauso per septem vel octo horas. Colatura etiamnum calenti adde

Sacchari albissimi Uncias duas,  
 Vini rhenani,  
 Succi Citri, singulorum Unciam semis.  
 Sepone in locum frigidum, ut fiat ge-  
 latina.

### GELATINA POMORUM.

*Succus e pomis rasis expressus, addita sac-*  
*chari albi quarta parte, vaporet leni calore ad*  
*gelatinæ consistentiam.*

### LOBULI MARTIALES.

R. Tartari albi Libras quatuor,  
 Ferri purissimi limati Libram unam cum  
 dimidia,  
 Aquæ fluviatilis Congios sex.

In vase ferreo, continue agitando, supra  
 ignem inspissa, donec omnem perdat acidita-  
 tem, et spuma admoto papyro accenso flagrare  
 desinat. Tum adde aquæ q. s. ut ferrum non  
 solutum subsidat. Solutio decanthata iterum  
 vaporet ad debitam consistentiam, ut inde glo-  
 buli, ponderis dimidiæ vel unius Unciæ, for-  
 mari queant.

### HYDRARGYRUS PURIFICATUS.

R. Hydrargyri q. v.

E retorta vitrea destilletur in vas recipiens  
 vitreum, cui aqua fluviatilis ad ejus dimidium  
 indita sit. Cavendum est, ne ignis adeo vali-  
 dus sit, ut hydrargyrus quidquam secum  
 elevet.

### INFUSUM RHEI.

*Vulgo Anima Rhei.*

R. Rhabarbari contusi Uncias duas,